



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Concilium Lvgdvnense III. Svb Gvntramno Rege Anno Regni eius XXII.
mense Maio celebratum, id est Anno Christi DXXCVII. vt Binius putat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Tempus
Concili.

^c *Pelagii II. anno 18.*] In fine actorum Concilii scribitur, hanc Synodum anno duodecimo Guntramni regis celebratā esse; sed mendose & deprauate. Nam si (vt ibi legitur) decima quinta indiotione habita fuerit, non duodecimo, sed decimo octauo Guntramni regis, eam celebratam esse dicere oportet. Nec est quod quis eam reuocet ad præcedentis indiotionis periodi itidem decimam quintam indiotionem: nam illis temporibus Nicetius præerat ecclesiæ Lugdunenſi: hoc autem tempore & indiotione regebat eam ecclesiam Priscus, qui huic Synodo subscriptus infra inuenitur.

Can. 5.

^d *Vt nullus clericus sagum, &c.*] Hoc Canone sustulerunt prauum illum vsum clericorum, qui factione Salonii & Sagittarii episcoporum, de quibus supra in notis Concilii Cabilonenſis, irrepserat.

Can. 9.

^e *Vt feria sancti Martini, &c.*] Huiusmodi ieiunia in Galliis a sancto Perpetuo Turonensi episcopo primum instituta fuisse, docet Gregorius eiusdem ecclesiæ antistes libro 10. hist. Franc. cap. 31. vbi inter alia ieiunia a depositione, inquit, *sancti Martini vsque ad natalem Domini, terna in septimana ieiunia.* Fluxit inde vt nonnulli fidelium integrum tempus aduentus, quod natalem Domini diem præcedit, ieiunio continuato transigerent.

Can. 14.

^f *Vt Iudeis a cœna Domini, &c.*] Vide quæ hac de re notauimus supra Can. 28. Concilii Aurelianensis III.

CONCILIVM LVGDVNENSE III.

ANNO
CHRISTI
583.

SVB GVNTRAMNO REGE ANNO REGNI
eius XXII. mense Maio celebratum, id est ^{*} anno Christi
DXXCIII. Pelagii II. papæ VI. Chilperici regis XXII.

* Anno
Christi
DXXCIII.
vt Binini
putat.

TITVLI CANONVM.

- | | | |
|--|-----------|---|
| I. <i>Vt episcopi, presbyteri, & diaconi, extraneas feminas domi non habeant: & qui coniugati ordinantur, ab vxoribus sequeſtrentur.</i> | recedunt. | IV. <i>De incestis coniunctionibus.</i> |
| II. <i>De epistolis captiuorum caute examinandis & conscribendis.</i> | | V. <i>Vt episcopi natale Domini, & pascha extra ecclesiam suam non celebrent.</i> |
| III. <i>De puellis quæ a monasterio</i> | | VI. <i>De leprosis cuiusque ciuitatis & territorii, vt episcopi eorum curam gerant.</i> |

CANONES.

I.

MVLTA quidem anterioribus temporibus venerabilium patrum sanxit auctoritas: nunc

ANNO
CHRISTI
583.

tamen, quia crescente Deo propitio fide, oportet in clero vel populo catholico meliora salubri pontificum consilio renouari; idcirco beatissimorum patrum statuta reminiscens, huius tituli definitione sancimus, ut nullum clericum, ab ordine sancto antistitis usque ad subdiaconi gradum, mulierem, præter matrem, amitam, & sororem, in hospitio suo habere liceat. Placuit etiam, ut si quicumque vxoribus iuncti ad diaconatus, aut presbyteratus ordinem quoquomodo peruenerint, non solum lecto, sed etiam frequentatione quotidiana debeant de vxoribus suis sequestrari. Quod si, quod Deus auertat, de eorum familiari contubernio post acceptam benedictionem infans natus paruerit, ab officii gradu priuentur.

II.

* Id etiam de epistolis placuit captiuorum, ut ita sint sancti pontifices cauti, ut in seruitio pontificibus consistentibus, qui eorum manu vel subscriptione agnoscat epistolæ aut quælibet insinuationum literæ dari debeant, quatenus de subscriptionibus nulla ratione possit Deo propitio dubitari: & epistola commendationis pro necessitate cuiuspiam promulgata, dies datarum, & precia constituta, vel necessitates captiuorum, quos cum epistolis dirigunt, ibidem inferantur.

III.

Puellæ vero quæ conuiuentia parentum suorum se voluntarie dedicauerint, & intra monasterium puellarum conclusionem elegerint, & se de eodem monasterio quacumque animi leuitate, aut vili-

tate corporis, extra captiuitatis incursum, voluntate sua subtraxerint, & de conuersatione religiosa cuiuscumque vocationis spiritu sæculi delectationes elegerint, quousque in monasterium vnde egressæ sunt reuertantur, a communionis gratia segregentur; viaticum tamen illis miserationis intuitu præbeatur.

I V.

De incestis vero coniunctionibus hoc placuit custodiri, quod prisca Canonum statuta sanxerunt.

V.

Vt nullus episcoporum natalem Domini, aut Pascha, alibi nisi ad ecclesiam suam, præter infirmitatis incursum, aut ordinem regium, celebrare præsumat.

V. I.

Placuit etiam vniuerso Concilio, vt vniuscuiusque ciuitatis leprosi, qui intra territorium ciuitatis ipsius aut nascuntur, aut videntur consistere, ab episcopo ecclesiæ ipsius sufficientia alimenta, & necessaria vestimenta accipiant, vt illis per alias ciuitates vagandi licentia denegetur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Priscus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lugdunensis constitutionibus nostris subscripsi.

Euantius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Viennensis constitutionibus nostris subscripsi.

Syagrius episcopus Æduorum constitutionibus nostris subscripsi.

Helychius episcopus ecclesiæ Gratianopolitanæ subscripsi.

Ragnoaldus episcopus ecclesiæ Valentiniæ subscripsi.

Eusebius episcopus ecclesiæ Matiscensis subscripsi.

Agricola episcopus ecclesiæ Neuernensis subscripsi.

Flavius episcopus ecclesiæ Cabilonenfis subscripsi.

Et missi episcoporum, qui hos Canones subscripserunt, duodecim.

ANNO
CHRISTI
583.

NOTÆ IACOBI SIRMONTI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Anno Christi DXXCIII.*] Meminit Gregorius Turon. lib. 6. capite 1. Synodi apud Lugdunum conuocata anno sexto Childeberti regis, hoc est anno Christi 581. Verum is annus erat Guntramni tantum 20. huius vero nostræ inscriptio annum denotat 22. Sic enim habet: *Synodus habita in ciuitate Lugdunensi anno 22. regni gloriosissimi domni Guntramni regis.* Annus autem Guntramni 22. iuxta æram nostram congruit anno Christi 583. At qui Clotarii obitum serius constituunt, Concilium hoc reiciunt in annum 586. alii in annum subsequenter.

² *Id etiam de epistolis.*] Locus est mendosus, cui veterum exemplarium inopia mederi non licuit. Can. 2.

³ *Placuit etiam vniuerso Concilio.*] Citatur hic Canon in antiquis collectionibus Andegauensi & Diuionensi, titulo *De viduis, pupillis, & pauperibus.* Can. 6.

NOTÆ SEVERINI BINII.

¹ *Concilium.*] In hoc Concilio ad disciplinam ecclesiæ reformatam anteriorum Conciliorum constitutiones confirmatae sunt. Ex viginti episcopis duodecim per suos vicarios interfuerunt & subscriplerunt. Qui sint Euanthius & Syagrius, dixi supra in notis Concilii Matisconensis I. ex Adonis Viennensis chronico.

² *Anno Christi 587.*] Cum hoc enim anno vigesimus secundus regis Guntramni coincidit: vt patet ex iis quæ supra diuersis in locis hac de re notata fuerunt.

³ *De epistolis captiuorum.*] Literæ captiuorum sunt, quas pro redemptione captiuorum episcopi scribere solebant. Baron. anno 142. numero 9. Can. 2.

ANNO
CHRISTI
584.

^a CONCILIVM VALENTINVM II.

SYNODVS HABITA IN VRBE VALENTINA

¹ x. Kalendas Iunii, anno XXIII. regni gloriosissimi domini Gunthramni regis, indictione II. id est, ² anno Christi DXXCIV. Pelagii II. papæ VII. Chilperici regis XXIII.

² Anno
Christi
DXXCIV.
vt Binus
putat.

Confirmantur a Synodo quæcumque Gunthramnus rex, ipsiusque uxor, & filia, in diuersas ecclesias, vel alia pia loca contulerant.

CVM in vrbe Valentina, iuxta imperium gloriosissimi Gunthramni regis, nostra mediocritas pro diuersis